

D. D.

DISSSERTATIONIS PHILOSOPHICÆ

DE

MENSURA LIBERTATIS

PARTEM PRIOREM,

*Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad.
Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO

M^{AG.} JOHANNIS
BILMARK,

HIST. ET PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

Publico examini subjicit

CAROLUS INGMAN, Jon. Fil.

VERMELANDUS.

IN AUDIT. MAJ. DIE XXI. JUNII, MDCCCLXIV.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

KONGL. MAJ:TS
TRO-MAN OCH CAMMAR REVISIONS-RÅD,
VÄLBORNE HERREN,

HERR ELLIAS
MAGNUS
NORDENSTOLPE

MIN HÖGGUNSTIGE HERR FARBROR.

De vålgårningar, som ifrån Min Herr Farbrors bevågenhet både Mine Käre Föräldrar och jag leda, åro större och vigtigare, än at vi nog samt kunna dem årkänna. Ofsta hafva olyckor aldeles velat störa vår välfärd; men Eder ynnest, Min Herr Farbror, har gjort, at vi föga kjänt deras vidrigitet. Undra därföre icke, HögGunstige Herr Farbror, at jag med ömmaste fägnad nyttjar närvarande

de tilfälle at förklara den tacksamhet, som jag hittils måst låta mig nöja med at blott hyfa i et med djupaste ödmjukhet upfyldt år-kånsamt hjerta. Tillåt ock, Min Herr Farbror, at til et ringa vedermåle af min djupa vördnad få upoffra Eder detta lilla Academiska Snille-prof: en omogen frukt af en spåd stam, som, näst Guds hjelp, af Eder beständiga ynnest väntar sin tilväxt och mognad. Anse det med samma blida ansikte, hvarmed J altid uppåttat och stärkt vårt förfallna hopp. Jag skal däremot aldrig underlåta, at fortvara i min ömmesta skyldighet, som är, at anropa Den Högste Guden, det Han täcktes i många tider bekröna Min Herr Farbror och Dese Förnåma Famille med all sielfönskelig välgång och förnöjsamhet. Härigenom grönskas tillika med Edert mitt väl, och jag får desto nögdare med djupesta vördnad framhärdar

VÄLBORNE HERR CAMMAR-REVISIONS-RÄDETS,
MIN HÖGGUNSTIGE HERR FARBRORS,

ödmjukaste tjenare och
lydigste brorson
CARL INGMAN.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Hof-Jägmästare,
Högvälborne Baron,

**HERR AXEL GUSTAV
K U R K ,**
MIN HÖGGUNSTIGE HERRE.

Det är ej någon förmätenhet, utan en ren vörtnad, som har föranlätit mig, at härmelst förklara emot Herr Baron och Hof-Jägmästaren min tilgfsvenhet. Ty på den kortta tid jag haft äran at vara känd af Eder, Höggunstige Herre, har jag rönt hos Eder så många lysande egenskaper, at jag är fullkomligen öfvertygad, det ingen kan se dem, utan at mot Eder betyga den vörtnad, som man är en ofärgad dygd altid skyldig. Denna har hos mig blifvit ansenligen förökt genom de många välgärningar, hvarmed Herr Baron och Hof-Jägmästaren hedrat så väl Mina kära Anhöriga, som mig. Ansen däröre, Höggunstige Herre, med en Eder hedrande välvilja, at jag til et skuldigt, fast osullikomligt, vedermåle af min ödmiuka ärkänsla upoffrar Eder detta mitt första Academiska Lärospän. Den Högste Guden gjöre Herr Barons och Hof-Jägmästarens dagar så många och af en ständig välgång så grönskande, som jag önskar, hvilken har äran at med djup vörtnad framhärla

HÖGVÄLBORNE HERR BARONS och HOF-JÄGMÄSTARENS,
MIN HÖGGUNSTIGE HERRES,

ödmjukaste tjenare
CARL INGMAN.

VIRO Summe Reverendo atque Amplissimo,
D: NO C A R O L O
A B R A H A M O
C L E W B E R G,

S. S. Theologiae in almo ad Auram Lyceo PROFESSORI
Celeberrimo,

MÆCENATI MAGNO, & NUTRITIO PROPENSISSIMO,

Parce, MÆCENAS, mea quod Camena,
Hocce jejuno tenuique dono,
Audet ad tantum properare limen
Rustica cultu!

Qui Tuam pulchram colo gratus ædem,
Tot Tui magni recolo favoris
Signa, quot celsum rutilumque cælum
Emicat astris.

Est nepotinus pietatis æstus,
Hocce quo fervet, velut unda, pectus;
Sed negat dignum propriumque cantum
Lyra novella,
Det Tibi summus Moderator orbis.
Longius vitæ spatiū beatæ:
Luceas clare velut inter astra
Phœbus opaca,

Fama votivi genuina natu
Crescat in culta velut herba terra,
Æquet ut magnum meritis Parentem
Hic meus ignis.

CELEBERRIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus
CAROLUS INGMAN.

Crono-Befallningsmannen
Öfver Dals-Lands Södra - Fögderi,
Ådel och Högaktad,
Herr JONAS A. INGMAN,
MIN HULDASTE FADER.

Huru skal jag finna tjenliga ord, at uttrycka de ömma rörelser, hvaraf mitt sinne är intagit, då jag nu vil offenteligen förklara min barnsliga vördnad och ärkänksamhet för Min Huldaste Faders stora välgärningar. Ibland alt annat godt räkna vi lifvet, som det färnämsta, och af alla lifvets förmöner anse vi i synnerhet tilväxt uti dygd och bokliga konster. Det förra har jag näst Gud, at tillkrisva Mina Huldesta Föräldrar, och at jag ej skulle sakna den senare, hafva Mine käre Föräldrar användt all omsorg och större kostnad, än deras vilkor ofta medgifvit. At vita, det Eder möda ej aldeles fåfängt blifvit använd, har jag äran, at åt Min Huldesta Fader upoffra detta mit första snilleprof, som utom Min Käre Faders dryga kännung ej fått se dagsljuset. Tillåten det få tolka min brinnande kärlek och vördnad emot Mina Huldesta Föräldrar, hvilken ej förr, än med siflva lifvet skal utflockna. Hvad som i mit företagande kan brista, det skal en mognare ålder och idkelliga böner ärsätta. Försynen tildele Mina Huldesta Föräldrar så stor lott af lycka och välgång, som kan göra Eder nögda i tiden, och fälla efter tiden. Önskar af innersta hjerta, och med barnslig vördnad framhärdar

MIN HULDASTE FADERS

ödmjuk-lydigste son
CARL INGMAN,

L. N. S. M. A. R.

§. I.



uamvis anima nostra non possit non hanc legem semper sequi, ut nihil velit, nisi quod bonum, & nihil nolit, nisi quod malum sibi videatur; tantum tamen abest, ut ullæ bonorum aut malorum repræsentationes, quæ appetendi atque aversandi motiva constituunt, vim necessitandi habeant, ut potius efficacia earundem ultra actum sollicitandi & inclinandi non progrediatur, salva libertate seie in partem plane contrariam determinandi. Non equidem negaverim, talem esse animæ nostræ indolem, ut semper pro ratione mo-

A

tivo-

tivorum inclinetur, adeo ut fortioribus fortius & imbecillioribus imbecillus moveatur; hoc tamen tanto minus libertati officit, quanto certius constat, homini concessam esse facultatem efficiendi, ut quæ antea debilius adfecerant, ea postea fortius adficiant. Hoc tamdiu certum est, quamdiu in potestate hominis posita est adtentio, quod domestica cuiusvis experientia satis demonstrat. Quemadmodum igitur dubium non est, quin animæ nostræ competat libertas, ita certum est, singulis actionibus liberis eandem libertatis quantitatem tribui non posse, aliis majori aliis minori gradu aliquod quasi temperamentum necessitatis admittentibus, quod partim internæ constitutioni, partim etiam externæ coactioni originem debet. Quoniam vero nihil æquius censeri potest, quam ut singulæ actiones humanæ modo levius modo gravius agenti imputentur pro ratione libertatis, ex qua profectæ fuerint, dubium semper futurum esset, quantis vel poenis malæ vel præmiis bonæ actiones forent adficiendæ, nisi illa ipsa ratio liquido constareret. Hinc facile intelligitur, operæ pretium esse, legitimam libertatis mensuram paulo accuratius investigasse atque determinasse. Hoc igitur argumentum, quod gravissimum judicarunt Philosophi(*), nos utilissimum duximus, quod pro modulo ingenii hoc qualicunque specimine enucleare conaremur. Te igitur, Lector Benevolæ, quo decet studio & officio iterum atque iterum rogamus, ut, quæ tua est humanitas, immaturity ingenii immaturum hunc fructum æqui bonique consulas, non tam effectum quam conatum spectans.

(*) Hinc

(*) Hinc KINGIUS in tibr. de Origine mali p. m. 119:
 Si quid in Philosophia obscurum & difficile sit, id
 in ea parte, in qua de electionibus & libertate ag-
 gitur, inveniti certum est. Non alius in ea lo-
 cus, quo minus sibi doctiores constant, aut quo
 magis a se invicem abeunt.

§. II.

Quum legitimam libertatis mensuram frustra quis investigare atque determinare conaretur, nisi probe sibi perspectum haberet, tum quid mensura, tum quid libertas seorsim denotet; a re proposita alienum non fuerit, in ipso statim limine disquisitio-
 nis veram utriusque vocabuli notionem paullo dili-
 gentius evoluisse, præsertim cum determinatis vo-
 cum potestatibus, certissime evitari possint logoma-
 chiae, quæ in omni disciplinarum genere pessima-
 rum confusionum causæ existere solent. Id nobis
 mensura vocatur, ad quod res aliqua exigi debet, si
 vera ejusdem quantitas innotescet; vel, si mavis, id
 ipsum, ex quo liquido intelligitur, utrum majus an
 minus censeri debeat objectum, de quo disquiri-
 tur. In quantitate rerum æstimanda, ad tria potissi-
 mum momenta adtendi potest, nimirum: extensi-
 onem, intensionem & protensionem, quantum illa
 partium, ista graduum, hæc denique durationis quan-
 titatem involvit. Quod ad vocem libertatis ad-
 tinet, verbo notandum, eam duplicem admitte-

re notionem, prout quis eandem in foro vel Theologico vel Philosophico consideraverit. In illo *Spiritualis*, in hoc *Rationalis* audire solet. Nos non illam, sed hanc spectamus, quam proinde hic desimus per facultatem determinandi decretum voluntatis ad dictum rationis. Proprie igitur loquendo est attributum animæ, per certum vero tropum ipsis actionibus nostris tribuitur, in quantum ab hac facultate profiscuntur, adeoque ita sunt comparatae, ut earum existentiam in nostra habeamus potestate, antecedanea conditione necessaria ad hoc non impulsu, ut eas vel suscipiamus vel omittamus.

§. III.

Ut eo facilius invenire possimus, quænam illæ ipsæ sint partes, quæ perfectam & adæquatam libertatis mensuram constituunt, seorsim attendisse juvabit ad alia atque alia momenta, quæ in ipsa idea libertatis sive teclius sive apertius continentur. Primum quidem ad genuinum libertatis conceptum pertinet *Spontaneitas*, seu illa ipsa actionum proprietas, qua non ab externo, sed interno dependent principio, adeo ut ipse agens non extra, sed intra se rationem habeat sufficientem mutationis, quam actione producit. Tantum enim abest, ut laudem libertatis tueri possit actio, quæ a principio agendi extrinseco profiscitur, ut potius passio, quam actio dici debeat,

si illa ipsa ratio ultra conatum persuadendi & sollici-
tandi progrediatur. Quis vero meritis passionibus vin-
dicare poterit prærogativam libertatis, quippe quæ
ne concipi quidem potest, nisi in subiecto activo? Deinde etiam necesse est, ut actio, quæ libera di-
ci poterit, in se *contingens* sit, qualis tum audit,
cum, præter modo descriptam independentiam effe-
ctivam a causa quacunque externa, aliam atque
aliam determinationis rationem admittit, nec illo so-
lo, quo sit, modo est possibilis. Nam quod sim-
plici determinabilitatis unicitat, si sic loqui liceat,
in solidum subjacet, id tanto minus dici potest li-
berum, quanto certius constat, id vere esse neces-
sarium. Præterea ad veram ideam libertatis perti-
net, ut agens quodammodo indifferens existat ad
utramque contradictionis partem. *Indifferentiam* lo-
quor non *æquilibrii*, quæ omnem negat inclinatio-
nem agentis versus unam partem ex majoris boni-
tatis repræsentatione protectam, sed *exercitii*, quæ
posita tum repræsentationis, tum inclinationis diver-
sitate, agenti facultatem relinquere & suspendendi &
fuscipliendi actionem, ut alios determinationis mo-
dos brevitatis causa præteream. Denique & illud
non tam postulat, quam flagitat perfectus libertatis
conceptus, ut agens sit *intelligens*, seu facultate pol-
leat animadvertendi & examinandi tum motivorum
merita, tum consectaria actionum. Atque hæc præ-
cipua sunt momenta, quæ in censum venire de-
bent, cum id agitur, ut legitima libertatis mensura
proponatur.

§. IV.

Quamvis igitur haud obscure jam pateat, tanto liberiores esse actiones singulas humanas, quanto major atque sublimior fuerit gradus spontaneitatis, contingentiae, indifferentiae & intelligentiae, unde concipiuntur profectae; ideo tamen non temere existimandum, inanem esse laborem, qui singulis his momentis ulterius examinandis & curatiis expendendis insumitur. Non equidem negaverim, ita conjuncta atque copulata esse haec omnia, ut nunquam divelli debeant, si adæquata libertatis mensura proponetur; hoc tamen non impedit, quo minus singula, seorsim exposita, & planiorem & plenioriem efficiant tractationem argumenti, quod nobis proposuimus enucleandum. Nam quo distinctiores fuerint ideae partiales, eo etiam distinctior erit idea totalis, quæ ex illis componitur. Singula vero, quæ adduximus momenta, ita comparata esse, ut alios atque alios admittant gradus, partim ex ipsa eorum natura intelligitur, partim ex iis, quæ jam dicenda venient, intellectum iri speramus. Quare unumquodque momentum nunc sigillatim exponere adgrediemur, id in primis acturi, ut quodlibet & intendi & remitti posse, ad oculum demonstremus.

§. V.

Quod igitur ad spontaneitatem adtinet, in qua pri-

primum quasi rudimentum libertatis posuimus, non dubito fore plerosque, quibus adeo simplex vide-
ri possit, ut nullum plane gradum admittat, eo potissimum argumento, quod inter internum & ex-
ternum rei principium, nullum inveniatur me-
dium. Sed hi erunt fere, qui illos non perpendunt
casus, quibus fieri solet, ut eadem actiones partim
interno, partim externo determinentur principio.
Huc referri debent actiones, vulgo *mixtæ* dictæ,
quales sunt omnes, quas volentes quidem committimus, sed ita tamen, ut libenter eas omitteremus,
nisi ipsum volendi actum sollicitaret objectum ali-
quod externum. Exempla præbent actiones, quæ
vel spe majoris boni obtinendi committuntur, vel
metu majoris mali evitandi omittuntur, præsertim
si spes & metus non tam ex ipsa actionum idea
deriventur, quam ex variis aliis repræsentationibus
profiscantur. Quum enim in his mirum in mo-
dum variare possit quantitas, adeo ut nunc majora
nunc minora esse queant bona vel mala, quæ re-
præsentantur, & nunc distinctior, nunc confusior, u-
triusque generis repræsentatio; facile apparet, quod
hoc sensu major atque minor concepi potest spon-
taneitas. Sic plus spontaneitatis prodit, qui consilio
æqualis, quam qui imperio superioris recta facit,
& plus utroque, qui nec consilio nec imperio ad
officium præstandum opus habet, sed omnia bona o-
pera ex pura pura virtutis notione elicit. Hinc pro-
no quasi alveo fluit, plus libertatis inesse actionibus
æquis, quam actionibus justis, & actionibus inter-
ne

ne honestis, quam actionibus externe honestis; quandoquidem priores ex spiritu mere voluntario proficiscuntur, posteriores vero per media coactiva saepius determinantur. Quod ut recte intelligatur, verbo monendum, actiones æquas & in foro interno honestas, ex jure imperfecto, actiones vero justas & in foro externo honestas, ex jure perfecto repetere rationem sui sufficientem.

§. VI.

Alterum libertatis criterium in *contingentia actionum* posuimus. Hinc ratio ordinis postulat, ut hunc locum paullo diligentius excutiamus. Non defunt, qui omnes actus animæ nostræ duro necessitatis telo subjiciunt, nec ullum libertati locum relinquunt. Hi vero non unam ingrediuntur viam. Alii fatum quoddam brutum somniant, quod a mediis & motivis prorsus absolutum sit; alii mediis & motivis locum quidem faciunt, sed ita, ut eisdem irresistibilem pellendi & trudendi necessitatem adfingant. Illud si quibus unquam serio in mentem venerit, eo ipso maximam prodiderunt stultitiam, quippe quorum figmentum adeo est absurdum, ut illud nominasse sit refutasse. Hoc vero ideo falsum esse constat, quod aliis atque aliis contradicat veritatibus, quæ omnem certitudinis laudem tuentur. Quis enim non videret, ineluctabilem ejusmodi necessitatem omnes respectus morales tollere, tum reatum culpæ, tum rea-

reatum pœnæ expungendo, quorum tamen uterque sensu animæ intimo, eoque & clarissimo & certissimo extra controversiam ponitur. Quid? Quod illa ipsa necessitas ne concipi quidem possit, nisi ex causa libera sumatur constituta & introduceta. Quæ vero causa libertate gavisa hoc efficere potuit? Nulla. Nihil igitur superest aliud, quam ut mediis & motivis vim tantum svidentem & solicitantem, nequaquam vero pellentem & necessitantem tribuamus. Cumque quotidiana edocendi experientia noverimus, motivorum alia fortius, alia debilius, animam nostram adficere, dubium esse desinit, alios atque alios gradus contingentiae & agnoscendos & defendendos esse. Sic magis contingenter peccant, qui animum sanis præceptis imbutum & bonis exemplis firmatum gerunt, quam quibus neutrum contigit horum. Pari modo magis contingenter virtuti student, qui malefica, quam qui benefica utuntur natura, si cetera sint paria. Quocirca non minus clarum quam certum existimavero, singulis actionibus nostris tanto plus competere libertatis, quanto major sit contingentia, qua easdem suscepimus vel omittamus.

§. VII.

Sequitur tertius libertatis gradus, quem in aliqua exercitii indifferentia^(*) collocavimus. In hac vero explicanda & adstruenda tanto nobis licet esse bre-

viores, quanto clarius constat, eam eadem fere opera demonstrati, qua contingentiam jam ante demonstravimus. Hæc enim eodem gradu major aut minor est, quo majori vel minori pondere mens nostra in alteram contradictionis partem inclinatur. In quantum enim non pellendi, sed svadendi virtute pollent repræsentationes bonorum vel malorum; in tantum aliqua obtinet indifferentia. Quod vero eadem non raro satis magna sit, partim quotidiana experientia, partim clarissimis constat argumentis. Toties satis altum indifferentię gradum experimur, quoties in usu venit, ut alternativam in utramque partem propendeamus, utram rectius sequi debeamus, ignorantes, id quod aliis saepius, aliis rarius accidit, prout rationes utrinque pugnantes minori vel majori *ægredi* examinare & dijudicare didicerint. Quod vero alteri contradictionis parti non necessario adhærere cogamur, sed ncs ad utramque satis indifferenter habeamus, tanto clarius atque certius constat, quanto evidentera suppetant argumenta, quæ extra controversiam ponunt facultatem ita dirigendi attentionem, ut eam non modo pro lubitu intendere & remittere queamus, sed & ab aliis abstrahere objectis, quæ nos jam fortissime adficiant, atque ad alia continuo applicare, donec posteriores repræsentationes adeo prævaleant prioribus, ut nos in partem plane contrariam inclinent. Quoniam vero hæc ipsa facultas in aliis major in aliis minor est, prout quisque vel connato vel adquisito habitu in certa

genera vitiorum aut virtutum vel magis vel minus propendet, haud difficulter appetet, pro ratione hujusmodi indifferentiae variare mensuram libertatis, non tantum iisdem temporibus in diversis hominibus, sed etiam diversis temporibus in iisdem hominibus, quatenus crebris exercitiis virtutum aut vitiorum vel malam emendaverint, vel bonam corruerint naturam.

(*) Sunt Eruditi nonnulli, qui alio plane modo indiffer-
rentiam hanc explicant, quorum sententiam proponit BAILE dans le *Diction Historique & Critique*, Tom. I. p. 742. Edit. Secund. "Ceux qui tiennent le franc arbitre proprement dit, admettent dans l'homme une puissance, de se determiner ou du côté droit ou du côté gauche, lors même que les motifs sont parfaitement égaux de la part des deux objets opposez: car ils prétendent que notre ame peut dire sans avoir autre raison que celle de faire usage de sa liberté; J'aime mieux ceci que cela, en- core que je ne vois rien de plus digne de mon choix dans ceci que dans cela. Verum isthæc opinio principio rationis sufficientis e diametro aduersatur, ut facile demonstraremus, si id nunc ageremus.

§. VIII.

Venio nunc ad quartum membrum, ex quo legitimam libertatis mensuram componi debere

statuimus, quod forte suo jure primum fueretus
 locum, si merita singulorum accuratius expende-
 rentur. Necessarium loquor prærequisitum liber-
 tatis, quod sufficientem involvit cognitionem eo-
 rum, quæ ad actionem pertinent, quam liberam
 dicere poterimus. Quod omnis generis cognitio,
 quæ in hominem cadit, infinitam graduum varie-
 tatem admittat, per se constat, nec alia eget de-
 monstratione, quam cetera omnia, quæ nemo un-
 quam in dubium revocare potest, nisi sapere de-
 fierit; quod vero inter cognitionem & libertatem
 tantus obtineat nexus, ut hæc sine illa existere
 nequeat, id primo quidem intuitu paulo difficilior
 intelligitur, satis tamen clare elucescit, si ad natu-
 ram libertatis curatius attendere velimus. Inter
 alia, hoc ad genuinum libertatis conceptum perti-
 net, ut qui ea gaudet, alia atque alia ratione a-
 ctiones determinare possit, adeoque ceteris præte-
 ritis, illam solam eligat, quæ sibi maxime placeat.
 Jam vero ut hæc quam alia magis placeat alicui,
 requiritur ratio sufficiens, quæ alia esse nequit,
 quam major bonitatis gradus in hac, quam in a-
 lia actione deprehensus. At hunc gradum depre-
 hendere, quid aliud est, quam ejus cognitione
 imbutum habere animum, Nam quod eligimus,
 id volumus, quod autem volumus, id bonum ju-
 dicamus. Nullum vero judicium concipere possu-
 mus sine notionibus, quippe quarum conjunctione
 vel separatione consistit. Hinc non minus certa,
 quam clara est veritas, fieri non posse, ut ullum

libertatis gradum sine certa cognitionis mensura concipiamus.

§. IX.

Num vero ille ipse, quem inter libertatem atque cognitionem hactenus ostendimus, nexus hoc simus importet, ut quo quis perfectiore gaudeat cognitione, eo absoluotiore utatur libertate, eatenus videri potest dubium, quatenus quotidiana experientia edocemur, justo saepius solere usu venire, ut viri, doctrina clarissimi, sint servi vitiorum turpissimi; sed haec quidem dubitatio in peritos rerum arbitros cadere non potest. Eo enim ipso, quod eruditii sunt vitiosi, haud obscure constat, motivis non aliam esse virtutem, quam quae cum libertate potest consistere. Quid enim aliud efficiunt, qui non obstante boni & mali cognitione, in vitiorum sordibus jacere, quam virtutum laudibus eminere malunt, quam ut omnibus constet, eos libere peccare, nec representationibus istis revocatricibus, quas praecipua continet doctrina, vim necessitandi competere. Quocirca adserere non vereor, quemque tanto ampliore gaudere libertate, quanto uberiore polleat cognitione. Hoc ne gratis dixisse videar, argumentis evincam necessariis. In antecessum vero monendum, verum cognitionis gradum, ad quem hic attenditur, non simpliciter esse aestimandum ex multitudine

rerum cognitarum, sed ex habitudine earundem ad movendam vel appetitionem boni vel aversationem mali. Quamvis igitur in omnibus eruditio-
nis partibus, quæ ad Philosophiam Theoreticam
pertinent, quis versatissimus esset, ejus tamen co-
gnitio parum ad gradum libertatis vel augendum
vel minuendum faceret, quippe qui fere unice
æstimari debet ex scientia practica. Quod si vero
plures in hac ipsa scientia ita versati essent, ut a-
lius duplo, alius triplo, alius quadruplo majorem
possideret cognitionem quam primus, dico liberta-
tem singulorum eandem servare rationem, sive
ea bene faciendo utatur, sive male agendo ab-
utatur. Cumque motivis adscribatur sollicitatio,
ea quoque, ut vires activæ, proponi posse con-
stat. Dum enim quis, libertate abutens, contra
motiva recte agendi pravum designat actum, li-
bertati actio, motivis reactio competit. Jam ve-
ro quo ampliore quis gaudet cognitione, eo plu-
ra habet motiva. Quatenus igitur actio & re-
actio eandem servant rationem, eatenus tanto
plus requiritur libertatis, quanto plura fuerint
motiva contrarium svadentia, quæ jam vi liber-
tatis sunt superanda.

§. X.

Hoc quamvis justo subtilius videri posset de-
monstratum, res tamen ipsa adeo tritæ & planæ
est

est veritatis, ut indocto etiam vulgo perva repe-
 riatur; quod facile animadvertes, si paulo diligen-
 tius attendere velis ad varia vitiorum genera,
 quæ doctis cum indoctis, clericis cum laicis sunt
 communia. Quamvis enim non desint exempla
 hominum rudiorum, qui cum variis vitiis man-
 cipatos vident eruditos, eo stultitiae progredun-
 tur, ut sibi exiode effrenatam peccandi licentiam
 pollicentur, proinde ac si persuasum sibi habe-
 rent, ideo in spuriis vitiorum lacunis fese volutare
 homines, doctrina eminentes, quod sentirent, va-
 num esse metum Divinorum suppliciorum, quæ
 severiores vitiorum castigatores universis peccato-
 rum mancipiis minantur; tantum tamen abest, ut
 illa ipsa perversitas in omnibus ex puro puto in-
 telligentiaz defectu oriatur, ut potius eam pver-
 sae atque corruptæ voluntati in solidum adscribe-
 re non vereamur. Hoe tanto rectius statuimus,
 quanto certius novimus, infecetam quoque plebe-
 culam de aliis atque aliis doctiorum hominum vi-
 tiis tam vera & sana ferre judicia, ut ne viri qui-
 dem docti veriora aut saniora ferre possint. Ne quid
 præter rationem dixisse videar, attendas velim ad
 casus, in quibus laicos & clericos iisdem vitiis ob-
 noxios invenit vulgus, in quibus tantum abest,
 ut æqualia putentur peccata, ut potius illos le-
 vius, hos vero gravius delinquisse, etiam fungi &
 bardi intelligent, idque satis clare significant: ma-
 nifesto argumento, mensuram libertatis ex diver-
 so cognitionis gradu æstimandam esse. Eo enim
 ipso,

ipso, quod moralitatem actionum ex cognitione auctorum metiuntur, etiam quantitatem libertatis eadem mensura estimant, quandoquidem omnes morum doctores fatentur, pro ratione libertatis, qua utitur agens, intendi & remitti gradum moralitatis, quæ ipsis adhæret actionibus. Hoc utinam in fundum demittere vellent omnes sanctiōis ordinis homines, qui abusu libertatis infinita præbent scandala secularibus, unde in utramque temp̄publicam lerna malorum redundat.

§. XL.

Utrum vero æque in bonis atque in malis hominum actionibus pro ratione cognitionis, major aut minor adsit quantitas libertatis, alia est quæstio; hanc igitur nunc paucis expedire volumus. Primum quidem observare liceat, in vera notione libertatis duo esse attendenda, alterum *negativum*, quod eatenus locum habet, quatenus aliunde ad unicum tantum objectum necessario non determinatur voluntas hominis, alterum *positivum*, quod in tantum adest, in quantum est vera causa determinationis ad unum ex pluribus possibilibus. Deinde etiam probe tenendum, quod libertas, præter conceptum physicum, qui gemino absolvitur momento, quod nunc observabamus, rationem quoque moralem admittat, quo sensu tum libera sunt decreta animæ nostræ, cum ipsa ad null-

nullum aliud objectum determinatur, quam quod prævio judicio optimum statuerit. Ubi igitur nulla prælucet notitia, ibi aut nullum objectum eligi potest, aut eligeretur id unice, quod hic & nunc adficit fortissime. Quidquid igitur in hoc casu adest, id nihil aliud esset, quam sola libertas exercitii, exsulan- te omnino libertate contrarietatis. Ubi vero certa adest notitia plurium objectorum, ibi eatenus major floret libertas, quatenus etiam locum invenit altera libertatis species, quæ priori sub hypothesi desiderabatur; adeo ut vel ex his constet, quod gradus libertatis ex quantitate cognitionis aestimari debeant. Sed haec tenus tantum *extensive* consideravimus cognitionem. Nunc alia emergit quæstio, utrum idem dici potest, si *intensive* consideretur, seu quod adhuc clarius dicitur, utrum tanto majorem quis libertatem habeat, quanto clariorem possideat cognitionem? Num affirmare debeat quæstio, si ad sensum physi-
cum libertatis referatur, nunc non licet definire, cum paullo altius repetenda esset demonstratio, id quod non permittit ratio brevitatis, quam variæ causæ nunc non tam postulant, quam efflagitant. Adstruxisse sufficiat, sententiam affirmativam omnino admittendam esse, quandiu notioni libertatis morali adhæreamus. Hoc sensu libertatem sumxit CICERO, cum eam definit per facultatem sic vivendi ut velis, addita quæstione: Quis sic vivit ut velit, nisi qui recta sequitur? Quo igitur distinctiore quis cognitione gaudet, eo rectiora sequitur, & eo absolutiore gaudet libertate. Hoc si minus clare adhuc constet,

dabimus operam, ut rei veritas, quam clarissime es-
t uencescat. Qui actionum vel suscipiendarum vel o-
mittendarum non nisi confusam habuerit notitiam;
is saepe necesse habet pravam pro certa, & malam
pro bona eligere; contra quod, qui distinctam adhi-
buerit scientiam, eum nihil impedit, quominus, si
velit, actiones edat optimas, nisi in quantum aliquod
confusionis adhuc cognitioni adhaereat. Quod cum
gradatim decrescat, dum cognitio successive in com-
pletam atque adaequatam mutatur, prono quasi alveo
inde fluit, verum esse, quod dixi, rationem liberta-
tis imitari rationem cognitionis, seu, iisdein gradi-
bus minui & augeri quantitatem libertatis actionum,
quibus minuitur aut augetur intensio cognitionis a-
gentium. Atque haec pauca fuere, quæ, pro ratio-
ne festinationis, qua maxima premitur, de nobilis-
simo hoc argumento, dicere potuimus. Quæ restant,
alia occasione, si Deo vitam & vires concedere
placuerit, persequi volumus.

